



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

An solùm sit vnicum medium, id est, fides, per quod Deus iustificat  
peccatorem. tit. 49

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

mor, Sacramenta, opera præceptorū Dei, quæ omnia sunt media, per quæ distribuit Deus gratiam Christi, & retinetur, sine his medijs nemo iustificabitur & saluabitur.

Quinto, quoniam media non sunt merita, ideo solus Deus propter Christum iustificat media, & tota gloria transfertur in Deum & in Christum. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam &c. Psalm. 113. Iustificatio est remissio peccatorum, donatio Spiritus sancti, & remissio vitæ æternæ, sic retinetur remissio peccatorum.

Fides sola ante opera apprehendit iustificationem, sed illa apprehensio non sufficit, sed oportet facere etiam quod docet verbum & fides, Lucæ 11. Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Matthæi 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine. Rom. 2. Non auditores legis &c. Quid prodest apprehensa scientia, si non sit vsus scientiæ? Iustificatio apprehensa exigit, vt viuat per pœnitentiam & charitatem. Nō est ociosa res fides. Hoc sentite in vobis, Philip 2. Ergo solum credere, sine propria etiam immutatione vitæ, non saluat, &c.

*AN SOLUM SIT VNICVM*

*medium, id est, fides, per quod Deus  
iustificat peccatorem.*

TITVLVS XLIX.

**P**RIMO, vehemens persuasio adhæsit duobus illis populis, Iudæis & Ethnicis. Ethnici putabāt se iustificari adoratione, oblatione hostiarum coram suis idolis, & maximè etiam immolatione filiorum & filiarum, decepti ex historia Abrahamæ, qui voluit filium suum immolare, Genes. 22. Iudæi adhuc instinctu Sathanæ credunt se propter legis opera

L 1 4 iusti-

justificari, & dicunt se fore Moysis discipulos, Ioan. 9  
& non Christi per fidem. Contra hunc duplicem po-  
pulum maximè laboravit Paulus & omnes Aposto-  
li, qui omnes vnanimè concludunt & docent, non  
gratia Domini nostri Iesu Christi saluari, Act. 13.  
Rom. 4. Mortuus est pro peccatis nostris, & resurre-  
xit propter iustitiam nostram, &c.

Secundò, nunquam fuit intentio Pauli & alio-  
rum Apostolorum, quòd sic hæc virtus sola suffice-  
ret ad iustificationem, vt omnes alias excluderet, id  
est, fides sic solùm esset vnicum medium, per quod  
Deus te iustificaret ppter Christum, & non etiã per  
alia media, id est, charitatem, timorẽ, Sacramenta, o-  
bedientiã legis: nam alioqui Paulus non cõmemo-  
rãsser dilectionẽ, 1. Corint. 13. non dixisset Rom. 3. Le-  
gem statuimus &c. non vult Paulus diuidi fidem  
charitate, Galat. 5. neq; à pœnitentia Christi, Mar. 1.  
Neq; ab obedientia legis, Rom. 3. Deus est qui iustifi-  
cat, Roma 8. Spiritum fide propter Christum, & con-  
pus & vitam per dilectionem & charitatem, ac præ-  
ceptorum suorum opera, vt qui iustus est fide, Spiri-  
tu iustificetur adhuc in corpore.

Tertiò, fides primum locum inter virtutes tenet  
Hebræ. 11. Accedentem ad Deum oportet credere.  
Sed vt fides crescit de die in diem, sic & gratia crescit  
atque iustificatio. Non enim vnico momento fides  
est perfecta, ergo nec iustificatio. Sic & Christus cre-  
scebat & proficiebat sapientia, ætate, & gratia apud  
Deum & homines, Lucæ 2. Si enim vnico momento  
fides & iustificatio esset tota & perfecta, nõ præcipie-  
ret Paulus ad Eph. 4. crescere in Christo per omnia.  
Colof. 1. Crescentes in scientia Dei in omni virtute.  
Et 1. Pet. 2. Vt in eo crescatis in salutem. & 2. Pet. 1.  
Crescere in gratia & cognitione Domini nostri & sal-  
uatoris Iesu Christi.

Quartò, est igitur fides initium & primum me-  
dium,

dium, per quod Deus incipit iustificationem, sed per alias virtutes Spiritus sancti, Gal. 5. sacramenta, opera, perficit Deus iustificationem, quæ tunc perfecta est, quando post incinerationem homo resurgit. Philip. 3. Expectamus saluatorem &c. Sunt ergo & multa alia media, per quæ nos Deus per totam vitam facit iustiores &c.

Quintò, asserere quòd fides sola vnico momento, ante omnia opera, & sine respectu sequentium operum totaliter iustificet & saluet, & tota sit iustitia hominis, si vt nihil aliud sit ad salutem necessarium, nullum aliud medium, sine scripturis dicitur, quando scriptura nedùm fidem, sed & alia Spiritus sancti dona, sacramenta, opera commemorat & exigit ad salutem. Fides igitur initio apprehendit remissionem: sed charitas & pia opera retinent, & perficiunt vitæ iustitiam supra iustitiam mentis, & sua habent præmia accidentalialia, &c.

*AN SOLA FIDES SIT TOTA  
iustitia hominis.*

TITVLVS L.



Rimò in homine duo sic sunt coniuncta, quòd vnum sine altero esse non potest. Si debeat dici & esse viuens homo, id est, anima & corpus, hæc duo faciunt verum hominem, sed quamprimùm separantur, non manet hominis nomen. Sic fides & charitas sunt connexa, vt quàm diù hæc simul sunt coniuncta, efficiât integram iustitiam, sed si separâtur, non retinent integram & totam iustitiam, eò quòd ad plenam iustitiam exigitur nedùm fides, sed etiam vita iusta. Sic Paulus connectit fidem & obediẽtiam legis, Rom. 3.